TRIVMPHVS CHRISTI

De Hostibus Humani Generis

Anniuersariâ Gloriosissimæ

RESVRRECTIONIS

Die, Lyrico concentu in Communi totius Orbis lætitiâ, deuotè.

PER

ANDREAM BRZEZINSKI,

In Artibus & Philosophiâ in Alma Vniuersitate Cracouiensi, Secundæ Laureæ Candidatum

DECANTATVS.

Anno reparatæ salutis 1668.

Ipsis Calendis Aprilis.

CRACOVIÆ,

In Officina ALBERTI SIEKIELOWIC, S. R. M. Typograph.





Victori Christo quo adest sanctissima Mater,
Gloria nam Matris Filius esse solet.
Et quia post tumulum primò comparuit ipsi,
Vt palmâ lætam redderet ille suâ.

Stanislaus Kliś Al. Ac. C. Poës. St.

Admodum Reuerendo in Christo Pátri,

P. KYLIANO VENCESLAO ZYWIECKI,

ORDINIS S. PAVLI PRIMI EREMITÆ

Per vtramq; Poloniam & Silesiam.

PROVINCIALI DIGNISSIMO

P. PATRONOQ; SVO MVNIFICENTISSIMO,

Author F. P.

E*Xcitata quantumuis, nec dum benè in Parnasso somnians Musa mea, Numerosis plausibus, ad solennem veteri æuo triumphantium Imperatorum pompam, ore, opereq́; Poëtarum eruditorum decantatis; erubescere iure merito deberet.* Si die hodiernâ, victori Christo, *cruentâ exacie, ad subruendam Orci potentiam descendenti, & Ciues tot sæculis Diabolicâ tyrannide pressos, in exoptatam libertatem vindicanti, lætos in applausus, non assurgeret, ac triumphum, publicæ salutis Assertori, modulamine, ad cultum, venerationemq́; profundissimam exacto cumulare negligeret.* Adm̄ Reuerende Domine. *Tantò magis, quòd Saluator humani generis, non sibi duntaxat ipsi, sed nobis eti-*

am vicit iuxta ac triumphauit : cumq; vnus ſanguinem profudiſſet pro omnibus, totius victoriæ fructum, vniuerſis Nobis ex integro impendit: Diuerſo admodùm triumphantium ingenio, qui cum ſanguine alieno victoriam emerint, ſibi palmas, trophæa, arcus triumphales vſurpant, omnes alios, à iure triumphi, non ſine iniuria excludunt. Et fateor equidem tanto Triumphatori parem neutiquam eſſe poſſe, vel cœlo Pæana deductum ; cùm tamen is ipſe exaltatus à terra, humilia reſpiciat, abſorptam ingenti profunditate humilitatem meam, ſpero non deſpiciet : præſertim quando Miſſo Heliconi repudio, ad clariſſima in Orbe Sarmatico, clari montis iuga, ſeſe recipiat ; & ad eius præſidium, cuius reſpexit humilitatem Dominus, recto paſſu contendat. Porrò quandoquidem tu Adm̄ Reuerende Pater, *Dominæ ſimul mundi, & Ancillæ illius Domini ſacratiſſima adyta, auguſtamq; Diuinæ benignitatis in genus humanum infinitis propè miraculis illuſtratam Claromontanam ſedem, ſupremâ Ordinis Eremitici per vtramq; Poloniam iuriſdictione functus, gubernas conſilio, protegis induſtriâ, virtutibus meritiſq; exornas ; ſic demum mea verè triumphabit Chriſto victori plaudens deuota Camæna, ſi lucem publicam, ſub Tuo ſuſpexerit auſpicio, qui clarum Virginis Deiparæ in montibus ſanctis verticem, vt intempeſtâ illâ ab vltimoq; ſeptemtrione euocatâ nocte, ita præſenti rerum facie, ad hanc vſq; diem feliciter, vndequàq; illuſtras. Occupet itaq; primò Tuas bonis operibus ſemper refertiſſimas manus, hoc triumphantis Chriſti gloriæ, Numeris quidem pedeſtribus, ſed affectu in publicam lætitiam abundè ſoluto adaptatum melos : vnaq; ſit perpetuum meæ in Te obſeruantiæ teſtimonium, cui hoc medullitùs opto & voueo : vt poſtquàm Eccleſiam, Ordinem ſanctiſſimum ad augem deductis meritorum tuorum ſplendoribus illuſtraueris, tandem poſt ſera fata cum victore Chriſto cæleſte capitolium ingrediaris felix.*

Veſtræ Admodum Reuerendæ Paternitatis.

Deuotiſſimus Cliens.

ANDREAS BRZEZINSKI,
Secundæ Laureæ Candidatus.

PÆAN VICTORI CHRISTO

POſtquam furentes Nauita turbines
Sæuis reluctans Oceani minis,
Lethale fatum, vorticeſq;,
Et ſcopulos nimium timendos
Euaſit: altæ certa voraginis
Iam præda: quêis ô ſe exhilarat modis
Quàm concinit læto celeuſtes
Cum ſocijs modulamen ore.
Tunc frontis augem iam color occupat
Serenus; albas purpura habet genas,
Artuſq; replentur vigore,
Pandere lætitiam parati.
Pollent nouatis pectora plauſibus,
Quòd cæca Ponti vincula proſperè,
Poſt ſe relinquunt, tuta dulci
Littora proſpiciendo vitæ.
Sic cùm doloſas pennigerum genus
Latentis artes effugit aucupis,
Erranſq; per campos virentes,
Cùm laqueos fera rumpit acres.

Exul.

Exultat arcti nescia carceris
Et gaudiorum diues agit, cui
Vindicta libertatis ante
Perditæ, adempta, iterum reuertit.
Hoc nempe cunctis dogma dedit parens
Natura rebus, cùm superauerint
Alcidis exemplo latentes
Insidias dubiæ salutis.
Extraneo, seu munere proprio,
Vt lætiores iam peragant dies:
Cum tetricâ deuortiumq;
Tristitiâ faciant solutæ.
Iam iam minaces fregimus impetus,
Ditisq; tristem ritè potentiam
Excussimus, summo potentis
Naufragio Phlegetontis omnes
Eliberati. iam laqueos propê,
Tensasq; nostris sub pedibus plagas
Calcamus vltro iure summi
(Numinis auxilio) triumphi.
Quem post Cruentos hac peragit die
Christus labores Victor: & hostium
Prædis onustus, læta Palmæ
Erigit emeritæ trophæa.

Ergo

Ergo querelis ne vacet amplius
Afflictus orbis: non gemitus graues
Rumpant meatus pectorum: ex quo
Letiferos superauit Orci
Redemptor hostes, cunctaq; proprijs
Sanauit auctor Vulneribus mala;
Fusoque restinxit cruore,
Sulphureas Acherontis vndas.
Quis tam benignæ signa potentiæ?
Tantiq; amoris protulit in genus
Mortale? quod diris reuinctum
Compedibus retinebat Orcus.
Longè minores pectore Curtius
Profudit ignes Romulidum bona
Promptâ sui seruans ruinâ,
Cum Decijsq; Camillus audax.
Hic nam triumphat tartara diruens,
Calcatq; funestæ artifices necis,
(Mortalium vires quod extra est)
Eumenides nimium saluti
Nostræ inuidentes. quæ procul irritis
Iuere votis, per lachrymabiles
Vmbras Auerni, ipsæ ferentes
Quòd populo misero parabant.

Cum

Cùm ditis omnem ritè potentiam
Chriſtus repreſsit, celſa palatia
Linquens Polorum, ſeque noſtræ
FACTVS HOMO tribuens ſaluti.
An non refractis æthera plauſibus,
Pulſare debet terrigenum cohors?
Ouansq; gratis lætiores
Pectoribus reuocare voces.
Subuerſa diræ regna tyrannidis,
Videns potentis iam validâ manu
Victoris: & recluſa celſæ
Suſpiciens monumenta ſedis.

Ad. M. D. O. M. G. C. R. B.
M. V. & O. SS. H.



1996